

eodem modo a catholico ordinentur episcopo. Non enim in his fit reiteratio, sed ipsa consecratio, quoniam nihil præcesserat, quod ratum haberi queat.

XII.

Clerici autem alterius regionis non recipiantur sine propriis pontificis litteris.

XIII.

Scimus quidem laicis ecclesias non competere, sed ubi illæ ex toto auferri non possunt, saltem oblationes missarum aut altaria seu primitias laicis omnino prohibemus. De cœmeteriis autem, et sepul-

tura, et baptisteriis, exactionem fieri omnino prohibemus.

Amatus episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus his synodalibus gestis vice domini mei papæ subscripsi.

Berengarius Gerundensis episcopus subscripsi.

Berengarius Ausonensis episcopus subscripsi.

Raimundus Elenensis episcopus subscripsi.

Raymundus Rotensis episcopus subscripsi.

Humbertus Barchinonensis episcopus subscripsi.

Guillelmus Conveniensis episcopus subscripsi.

Fulco archidiaconus agens vices Urgellensis episcopi subscripsi.

SYNODUS BURDEGALENSIS

Amato apostolicæ sedis legato præside anno 1080 habitum

Omnia orta occidunt, et aucta senescunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejusque memoria brevissima probatur; sed ne oblivio prorsus præterita absorbeat, necesse est, ut rerum gestarum notitiam littera retineat, quatenus quid sit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præsens non ignorat Ecclesia, sed nec posteritas hinc hæreat ambigua, quod nostra gestum est præsentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius, quam fragilis ferre posset animus. Cæterum subjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem secularia plus nimio negotia induraverant. Denique monstrante divina clementia portum salutis, placuit animo antra petere solitudinis, ubi nulla esset secularis habitatio hominis. Itaque commendata episcopo cura commissi gregis, egressus sum de monasterio comitantibus paucis, ignorans omnino quo cursus foret itineris. Sed tandem, Domino ducente, quippe qui nunquam abest sperantibus in se, pervenimus ad domnum Willelm. Pictavensem comitem, virum apprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum, Silva Major nuncupatum, quod allodium ita nobis ab illo absolutum redditur, ut nullo ibi quidquam juris requiratur, sicut etiam alia chartula testatur. Cum ergo ibi vellem incipere monasterium, perrexi ad domnum Goscelinum Burdegalensem archiepiscopum, in cujus episcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. Qui interveniente præfato duce jam inceptum monasterium ita omni donavit libertate, ut nec ipse, nec alius post eum, non archiepiscopus, non archidiaconus, non archipresbyter, non cujuslibet ordinis persona aliquod in eo jus, vel dominationem possit habere. Quatenus ibi degentes monachi absque ulla inquietudine libere possent Deo servire. Sed et hoc stabilitum est ab

ipso, eodem precante Willelmo, ut si quandoque, disponente Christo, villa creverit, nihilo majus in ea archiepiscopus, vel quilibet minister ejus quidquam habeat juris, nec in clericis, nec in laicis, sed omnia referantur ad abbatis dispositionem, vel congregationis. Hoc etiam sibi nobisque providit, ut nihilominus ecclesiarum consecrationem, sacrosque ordines vel chrisma ab archiepiscopo accipiamus cum necesse fuerit. Sed hæc constitutio iterum ab eodem firmata est in proximo concilio, præsentibus Romanis legatis Hugone atque Amato, multoque aliorum episcoporum collegio. Hoc quoque definitum est, ut si quis hoc decretum violare tentaverit, se sciat excommunicatum, donec satisfecerit, tam ab archiepiscopo, quam ab omnibus qui fuerunt in concilio. Nec non et hoc consulente domino Amato constituimus, ut hoc cœnobium solummodo Romanæ foret Ecclesiæ subjectum, atque sui tutelam domno Apostolico singulos annos solveret quinque solidorum. At ego jam descendens in defectum ætatis decrepitæ jam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus, a nostris rogatus fratribus, licet totis resisterem nisibus, tamen mihi ex parte domni Apostolici testatus obedientiam, eorum commendavit providentiam.

Acta est vero supradicta confirmatio Burdegalensi civitate in concilio, anno ab Incarnatione Domini 1080, indict. III, epacta xxvi, II Nonas Octobris, octavo an. Gregorii papæ VII, Philippo in Francia regnante.

S. Willelmi Aquitanensis ducis. CONFIRMA HOC, DEUS.

Ego Amatus apostolicæ sedis legatus confirmo.

Ego Hugo sedis apostolicæ legatus confirmo.

Ego Goscelinus Burdegalensis archiepiscopus præsentem concilio concedo et confirmo.

S. Rodulphi Turonensis archiepiscopi,

S. Willelmi Auxiensis archiepiscopi.
 S. Bosonis Sanctonensis episcopi.
 S. Ademari Engolismensis episcopi.
 S. Willelmi Petragoricensis episcopi.
 S. Raimundi Vasatensis episcopi.
 S. Hugonis Bigorrensis episcopi.
 S. Donaldi Agennensis episcopi.
 S. Petri Adurensis episcopi.
 S. Odonis abbatis Sancti Joannis.

A S. Drogonis Malliacensis abbatis.
 S. Raynaldi S. Cypriani abbatis Pictavensis.
 S. Bertrandi S. Juliani abbatis V. Nobiliacensis.
 S. Hildeberti Nantulliacensis abbatis. V. Nantolis in valle.
 S. Fulchardi S. Salvatoris abbatis V. Blavia.
 S. Anselini, Gocelini Burdegalensis ecclesie archidiaconi.

AMATI BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPI DIPLOMATA.

I.

Judicium Amati archiepiscopi Burdegalensis et apostolicæ sedis legati in gratiam monasterii Sanctæ Crucis.

(MARTENE, *Thes. Anecd. I*, 276.)

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, AMATUS, sanctæ Romanæ ecclesie legatus, Burdegalensium quoque archiepiscopus.

Quoniam sæpissime hominum memoria mundanis adeo sollicitudinibus impeditur, quod non solum olim, sed etiam nuperrime gestorum obliviscitur: ut deinceps præsentium mens litteris excitata, quæ vidit et audivit facile imaginetur, et futurorum ingenia iisdem notulis de præteritis erudiantur: placuit paucis comprehendere, et scriptis sanctæ matris Ecclesie fidelium tam præsentium quam futurorum mentibus inserere, qualiter controversiam inter abbatem Sanctæ Crucis, videlicet dominum Fulconem, et decanum dominum Petrum, super ecclesia Sancti Michaelis exortam infringibili iudicio sedavimus. Consistentibus namque in præsentia nostra abbate cum suis, et decano iterum cum suis, totiusque causæ rationibus utrinque attentata spiculatione circumspectis illorum causæ tale iudicium imposuimus. Si abbas Sanctæ Crucis tenorem Sancti Michaelis a prædecessore suo A. et a seipso habitum, prout multis confirmat assertionibus, ipse cum duobus suis monachis sacramento probaverit, quiete in posterum ecclesiam habebit; sin autem, ipsius causæ supersedendum decrevimus. Quod iudicium arguente rectitudinis examine collaudandum cunctis enituit. Quocirca in conspectu omnium ibidem consistentium abbas Sanctæ Crucis dominus Fulco assurgens cum suis super quatuor Evangelia juravit quod prædecessor suus bonæ memoriæ A. Trencardi cum suis monachis a reverendissimo prædecessore nostro domino Goscelino et a Sancti Andreæ capitulo ecclesiam Sancti Michaelis extra urbem super Garonam sitam prorsus ex integro in jus Sanctæ Crucis acquisivit, præter illud quod vocatur tricesimum et confessiones. Et ut prædictus

B abbas et sui, juxta sanctorum Patrum decreta, aliqua commutatione prædictam ecclesiam firmiter et quiete possiderent, quoque anno in festivitate sancti Andreæ ejus matris ecclesie canonicis duos solidos persolverent. Hanc ergo ecclesiam hoc modo Sanctæ Crucis concessam prædictus abbas quoad vixit quiete obtinuit, necnon juravit se ipsum in abbatem constitutum eundem tenorem obtinuisse. Quapropter ut deinceps ecclesia Sancti Michaelis inviolabiliter et quiete, tamen semper per capellanos, secundum deliberationem Sanctæ Crucis tractaretur: hoc privilegium nostræ auctoritatis firmavimus, quod impressione sigilli nostri signari præcepimus.

Actum est et concessum in præsentia nostri, assistentibus P. decano, et E. archidiacono, cum cæteris Sancti Andreæ canonicis, et quam pluribus aliis valentibus tam clericis quam laicis, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, indictione septima, epacta vicesima sexta, concurrente... anno pontificatus domni Urbani papæ secundi duodecimo.

II.

Amatus archiepiscop. Burdegalens. dat Silvæ Majori ecclesiolam S. Lupi.

(*Gall. Christ. II*, 275, instrum. nov.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, ego Amatus Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus.

D Si locis Deo dicatis aliquid largitionis nostræ munere ob divini cultus amorem impertimur, præmium æternæ remunerationis nobis rependi procul dubio non diffidimus. Notum itaque sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris, quoniam ecclesie Sanctæ Mariæ de Silva Majore ad divini cultus augmentum ecclesiolam quamdam, quæ est inter duo maria constructam, in honore S. Lupi confessoris perpetuo concedimus, et sanctuaria ad supra dictam ecclesiolam pertinentia; et ut hæc concessio per succedentia tempora firma et inconvulsa per-